

Carolus Porée
‘Mauricius Imperator’

Tragoedia
(1745)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Dezember 2006

Argumentum

Mauricius Orientis Imperator multa captivorum millia, quos vili pretio potuerat redimere, in vinculis crudeliter obtruncari permisit. paulo post culpam confessus ac detestatus, a Deo petiti, ut potius in hacce praesenti vita quam in futura turpissimae avaritiae poenas lueret. Mauricium audiit Deus, et, postquam auditas esse ipsius preces eum in somnis admonuit, Phocas dux rebellis exercitus Constantinopolim ingressus est, imperium vi occupavit, Mauricii filios coram patre trucidari iussit ipsumque Mauricium neci addixit. tot poenas invicta, ut par erat, animi fortitudine tulit Christianus Imperator. vindicem agnoscens Deum, has voces media inter suppicia saepe iteravit: ‘iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum.’

Personae

Mauricius	Imperator
Theodorus	
Iustinus	Mauricii filii
Germanus	Theodori socer
Philippicus seu Philippus	Mauricii affinis sororius
Priscus	Iustini moderator
Heraclius	Prisci filius, deinde
Zonaras	Phocae oppressor et successor
Aribas	praetorianae cohortis praefectus
Phocas	palatio praefectus
Alcimus	Tyrannus, sceptrorum praedo
Achillas	Phocae adiutor
<Milites>	dux cohortis

Scena Constantinopoli, in Palatio Mauricii

Actus primus

Scena prima

Mauricius, Zonaras, Aribas, Milites

Maur. Accerse Priscum, Zonara; avulsum domo
Multoque cinctum milite huc propere mihi,
Arike, Philippum siste.

Scena secunda

Mauricius *solas*

Maur. si poenae advenit
Tempus statutum, nostra in alterius manum
Transferre scepta si parat vindex Deus,
Poenam morari et scepta nequicquam velim
Ultra tueri, nec volo. hoc feriat caput
Ictuque eodem spiritum et solium auferat,
Qui dextra eadem spiritum et solium dedit:
Nihil repugno. sed neque adversis iubet
Offerre gladiis pectora. insidiis locum
Obstruere par est, dum licet; si non licet,
Sat erit paratum et vindice inflictum manu
Animo obsequenti vulnus excipere et pati.

5

10

Scena tertia

Mauricius, Priscus

Maur. Nuper triumphos, nuper imperium plagas
Late per omnes auspice extensum Deo
Tu me docebas, Prisce; nunc coeli minas

15

	Et nostra disce fata. rapiendum brevi Diadema capiti disce.	
Prisc.	Mauricius pavet, Ille, ille Romae terror et Dominus novae; Qui iura utriusque, factus utriusque arbiter, Dispensat orbi, marte qui solitus feras Domare gentes, civicos motus timet. Quam sit retundi facilis et facilis premi Excita plebes, docuit hesternus dies: Quatiebat arma; inermis armatam petis, Sola verendus fronte. Germanum male Tutum favore publico ex oculis rapi Condique tenebris imperas; subito excidit Metuque fractus siluit armorum furor.	20
Maur.	Facile resurgunt odia, quae pressit metus, Magis hoc timenda, pressa quo fuerint magis; Quamvis timenda, spernerem intrepidus tamen, Accensa nostro scelere ni faceret metum Caelestis ira.	30
Prisc.	scelere quo superum potes Accendere iras? ipse te iustum, pium Fatetur hostis.	35
Maur.	abstine pulchris reum Onerare titulis; impium, immitem voca, Qui tot suorum millia hostili manu In servitutem rapta, dum vili negat Redimere pretio, durus immiti iubet Perire ferro.	40
Prisc.	parce defletam diu Meminisse culpam. quidquid erratum est, satis Fletu expiasti.	
Maur.	non bene effusus crux Fusis piatur fletibus, nec sic Deus Noxas remittit Caesarum. hoc gravior manet Nos poena, quo altiore nos posuit gradu; Orbique reges grande documentum sumus, Quantis nocentes urgeat poenis Deus.	45
Prisc.	Tot parta bello decora, tam laeta domus Subnixa stirpe numen iratum haud probant. Non est volentis plectere, antiquis novos Semper triumphos addere.	50
Maur.	hoc terret magis, Quo laetiore nostra sors cursu fluit. Non est volentis parcere, immerito dare Rerum secundos exitus. quisquis nocens Fuit beatus, numine irato fuit.	55

	Sed mox reposcet, quidquid indulgens nimis Divina tribuit dextra.	
Prisc.	quid mentem iuvat Per vana trahere auguria?	
Maur.	nil temere auguror.	60
	Vidi egomet atra nocte, cum madidos levis Imbueret oculos somnus, affundi toro Tristes catervas compede attritas gravi Artusque laceros, unde stillaret cruor, Nudare manibus, vindicem et tacite Deum	
	Vocare; vidi fronte direptum mea Diadema sacrum, cingere alterius caput. Quin et satelles barbarus iugulum impio Reclusit ense: sanguis implevit sinum, Triplicique fixus vulnere haud perii semel,	65
	Ter cadere visus, morte tergemina mori.	
Prisc.	Simulacra noctis caeca, quae menti inserit Vapor malignus aut die acceptus timor, Quam saepe falsos pectori obiciant metus Raroque moneant vera, nescire est nefas.	
	Sed quia saluti Caesarum haud unquam fuit, Quicumque terror ingruat, cautum satis, Nox inquieta quidquid obiecit mali, Propere cavendum est. vincla Germanum tenent. Ne quis refringat, provide.	70
		75

Scena quarta

Mauricius, Priscus, Theodorus

The.	en, iterum ad pedes,	80
	Dilecte genitor, accedo supplex tuos: Nunc redde socerum, redde Germanum, precor.	
Prisc.	Omitte, princeps, velle periurum caput Eximere vinclis neu patri et patriae impium Praepone socerum.	
The.	desine immeritum caput	85
	Violare dictis. quo patrem et patriam loco Habere deceat, novimus; socii fides Sed ipsa nota est.	
Prisc.	nempe cui solium obtulit Delata furtim littera.	

The.	incerta manu	
	Delata nempe et forsitan inimica manu.	90
	Sed quid tueri voce Germanum volo,	
	Quem sua tuerunt facta, qui sceptrum haud semel	
	Oblata repulit. quid siles? ... aut quid gemis?	
	Pater? ... an moveris? ...	
Maur.	impetas.	
Prisc.	quid agas, vide.	
Maur.	Obsequere nato, miles.	
The.	obstrictam fidem	95
	Soceri meamque spondeo aeternum, pater.	

Scena quinta

Mauricius, Priscus

Prisc.	Quid esse dicam, Caesar? insidias iubent Cavere superum monita, tu vinclis iubes Illum resolvi, struere qui solus potest! Aut sperne fortis somnia aut prudens cave.	100
Maur.	Istud cavebo. Prisce, Germanum times: Non hic timendus; facere iam solus metum Debet Philippus.	
Prisc.	signa quae sontem arguunt?	
Maur.	Sontem indicarunt somnia. erectam meo Capiti coronam capite qui posuit suo, Hic fronte gessit asperam, tristem, horridam Pictamque tabo litteram. obstupui, horruí; Procerum revolvi nomina, infamem notam Animo requirens anxió: occurrit statim Nomen Philippi. nomine hanc solus refert.	105
Prisc.	Aut fallor, aut hic aliquid erroris latet: Novi Philippum.	
Maur.	quid struat populus, vide; Quid speret aut quid metuat, explora et refer.	110

Scena sexta

Mauricius, Philippus, Aribas, Milites

- Maur. Ades, Philippe, ... tibine praevisa est satis
Series patrandi sceleris? an tempus, dies,
Socii, ministri? 115
- Phil. quod mihi obiicitur scelus,
Invicte Caesar?
- Maur. nempe tu culpa vacas.
- Phil. Reus videri Caesari quisquis potest,
Vacare culpa non potest. quae me tamen
Faciat nocentem noxa, ni doceas, nequit 120
Mens suspicando consequi.
- Maur. non tu inviam
Aperire ferro statuis ad solium viam?
Non sceptrta vitamque invides? palles! siles!
Mauricius ergo iam tibi nimium diu
Vitam videtur trahere, qui vitam hactenus 125
Non sibi, sed orbi impendit et patriae et tibi,
Ingrate? trepidat animus. infandum scelus
Metuit fateri lingua; sed frustra silet:
Loquitur silendo teque testatur reum.
- Phil. Saepe innocentis ora compressit stupor,
Nec sola fraudis conscientia attonito riget
Terrore mens constricta. qui factis potest
Audere multum, plurimum verbis solet;
Et qui patrando criminis accingit manum, 130
Linguam negando comparat. sileo innocens,
Et mens labascit crimine imposito obruta,
Non cogitato. si loqui deceat tamen,
Mores loquuntur et, mihi vitae prius
Quidquid peractum est. me tibi affinem torus,
Virtus amicum, castra vincendi aemulum 135
Fecere, iura utrique dum Flavus daret;
Me deinde fecit subditum oblatus tibi
Regendus orbis. praestiti Domino fidem,
Tu primum amorem subdito. in Persas graves
Armata per te fulmen haec torsit manus; 140
Quascumque ferro legeram, his bello redux
Ultro revinxi laureis Domini caput:
Et me per atrox, impium, infandum scelus
Credis negatam quaerere ad solium viam.

	Nemo repente summus. ut solium suos, Hoc crede, Caesar, sic habet crimen gradus.	150
Maur.	Cito per omnes transilit scelerum gradus Regni libido.	
Phil.	vindicem appello Deum, Qui sensa cordis intima et caecos videt Animi recessus!	
Maur.	parce testari Deum: Quicumque pactam principi violat fidem, Aut esse nullos credit aut spernit Deos.	155
Phil.	Si teste nullo nostra tibi constat fides, Eloquere saltem, teste quo constat scelus.	
Maur.	Me teste coeloque indice.	
Phil.	o superi! an potest Scelestus esse sceleris ignarus sui?	160

Scena septima

Mauricius, Philippus, Priscus

Prisc.	Metuenda, Caesar, omnia. erumpunt palam Caeci tumultus; milite immixtus volat Ad arma civis impia, in Domini caput Fert signa, Phocam sequitur et Phoca duce ...	165
Maur.	Heu! quale nomen barbaro attonitas sono Implevit aures? loquere quem memores ducem?	
Prisc.	Phocam vocavi.	
Maur.	Prisce, iam satis est: patent Manifesta tandem somnia. o falso reus, Philippe, nobis credite. errori, precor, Ignosce.	170
Phil.	Caesar subditum veniam rogat! Rogare non est Caesarum, at veniam dare.	
Maur.	Errare quoniam est Caesarum, errori decet Orare veniam Caesares. non te reum, Philippe, crimen fecit, at sanctum impio Affine nomen nomini. sed iam tibi Phocas rebellis abstulit sceleris notam Totumque mente et nomine accepit scelus.	175
Phil.	Phocas rebellis! vile, despectum caput! Milesque ab imo nuper emersus gradu, Amans tumultus, pectore imbellis tamen.	180

	Permitte, Caesar, hunc tibi victum ocyus Vinctumque tradam.	
Maur.	me decet, quoniam petor, Petere rebelles. ibo.	
Prisc.	te, Caesar, nefas Prodire coram plebe, quam stimulat furor Regitque miles, ni tuum stipet latus Cohors fidelis. nuda maiestas valet Aliquando multum, at saepe praesidiis eget.	185
Maur.	Egone peribo inultus! an natos sinam Perire?	
Phil.	natis consule; hoc patrem decet. Tuae saluti consulam, hoc decet et iuvat.	190
Maur.	I, quaere, si quos Caesari addictos fides Amorque retinent; mox, ubi adfuerint, mone. Tu, Prisce, natos siste, quos tradam tibi; Salvosque praestes, si velit salvos Deus.	195

Scena octava

Mauricius *solas*

Maur.	Quis surgit imo pectore insolitus pavor? Quid, anime, trepidas? criminum ultricem manum Lentam increpasti saepe, nunc celerem arguis. Ventura placuit poena; terret, dum venit. Nempe haec nocenti poena debetur, timor;	200
	Poenaeque pars est prima, poenarum metus. Sed properet illa: huic offeram promptus caput, Si steterit ante tuta natorum salus.	

Scena nona

Mauricius, Theodorus, Iustinus, Priscus

- | | | |
|--------|---|-----|
| Maur. | Adeste, nati. quantus immineat patri
Turbo procellae, strepitus armorum docet,
Vel me tacente. parcite incassum mali
Causas latentes quaerere. has tempus vetat
Dolorque verbis eloqui. extremis procul
Effugia terris quaerite, hic vester labor. | 205 |
| Ius. | Dilecte genitor. | |
| Maur. | fugite. | |
| The. | fugiamus, pater! | 210 |
| Ius. | Patriae fugaces ecquis excipiet locus? | |
| Maur. | Locum requiret Priscus, ostendet Deus. | |
| The. | Fugare didici doctus exemplo patris,
Sed fugere nusquam docuit exemplo pater. | |
| Maur. | Doceat iubendo. | |
| The. | ni fugam exemplo doces, | 215 |
| | Parere iussis nequeo. dum Caesar pater
Mortem lacescit, subditum et natum est nefas
Latere inertem; subditus Domino manum,
Natus parenti debet offerre, offero; | |
| | Utrique vitam impendere, impendo. hoc licet,
Hoc iura clamant omnia, hanc vocem sequor. | 220 |
| Maur. | Theodore ... | |
| Prisc. | princeps ... | |
| Maur. | nemo iam paret mihi, | |
| | Iam Caesar esse destiti. | |

Scena decima

Mauricius, Iustinus, Priscus

- | | | |
|-------|--|-----|
| Maur. | Quod restat unum, Prisce, Iustinum fuga
Hosti ingruenti subtrahe. | |
| Ius. | ah! potius, pater, | 225 |
| | Permitte, lateri fidus assistam comes. | |
| Maur. | Non patitur aetas, nate. | |
| Ius. | amor patitur, iubet. | |

- Maur. Patrem adiuvare quid potes?
 Ius. possum mori.
- Maur. En, me vetante, frater in mortem ruit.
 Si tu periclo pariter innectis caput,
 Si moreris, ecqua spes erit misero super? 230
 Ius. Si moreris ipse, vita quid miserum iuvet?
- Maur. Vives, ut, olim quam tibi dederit Deus,
 Seu te imperare seu pati Dominum velit,
 Patiare sortem. Maurici vives memor,
 Sed patris. illum sic ama, per me licet. 235
 Obliviosa mente tibi Caesar cadat
 Aut, si recurret Caesar in patre, et simul
 Utriusque flebis fata; quam flebis, cave
 Sortem mereri. plura, cum tempus feret,
 Priscus docebit. Prisce, Iustum accipe. 240
 Si patrem amabas, alter huic esto pater.
 Nuper magistra voce fingendum dabam;
 Nunc trado fidei imbelli servandum caput.
- Prisc. Servabo pignus creditum, hac potior mihi
 Non alia proles fuerit. 245
- Maur. hos fletus preme,
 Iustine. Priscum respice, hunc patris loco
 Deinceps habebis.

Scena undecima

Mauricius, Iustinus, Priscus, Zonaras

- Zon. gliscit armorum furor,
 Crescit periculum. te sibi proceres ducem,
 Caesar, reposcunt.
- Maur. Prisce, nunc tempus vocat: 250
 Effer citatum calle secreto gradum.
 Iustine, sequere.
- Ius. genitor, extremum rogo,
 Me patere tecum adesse: pugnabis manu,
 Pugnabo lacrymis.
- Maur. me pete amplexu et fuge.

Actus secundus

Scena prima

Phocas, Germanus, Milites

Ger.	Sedes relictas ingredi ne sit pudor. Ingredere, Phoca. prodidit sceptrum et domum Fugiendo Caesar.	255
Phoc.	ne quis insidiis locus, Aditus viarum, tecta qui circum patent, Triplici corona sepiat miles frequens.	
Ger.	Haec tecta cernis. illa nos Dominos vident; Sed me prius videre captivum - o pudor! -, Postquam nocentem fecit ignota manu Submissa furtim charta, quae regnum mihi Deferret ultro.	260
Phoc.	cernis auctorem et manum.	
Ger.	Haec illa nempe domina regnorum manus, Quae capere sceptrum vel dare arbitrio potest.	265
Phoc.	Haec puniendo Caesari electa est manus, At non creare Caesarem arbitrio potest. Populi favore stabit imperium aut cadet; Tu proinde populi aggredere pollicitis fidem.	
	Tu proinde populi aggredere pollicitis fidem.	270
	Punire lentum, dona largiri impigrum, Avidum laboris, publici cupidum otii Promitte Dominum.	
Ger.	credula haud magnus labor Allicere plebis studia. meliorem sibi Promittit ultro, corde cum veterem abiicit	
	Infensa Dominum. magna laus, regnum recens;	275
	Solum occupetur, Caesarem populis novum Ostende, sydus populi adorabunt novum.	
Phoc.	At fulget etiam luce Mauricius sua. Repente quamvis nubila obruerint caput	
	Victum procella, purpurae nondum exuit Fulgor verendum. fulmina etiam num tenet,	280
	Dum sceptrum retinet dextra.	

Scena secunda

Phocas, Germanus, Alcimus

Alc.	Mauricio fugae	
	Spes nulla superest: mole vinclorum brevi Pressum videbis.	
Ger.	at sibi nudo viam	285
	Reperisse ferro, ut moenibus fugeret procul, Rumor ferebat.	
Alc.	profugus extulerat pedem, Fugisse pariter urbe Theodorum ratus; Sed ubi relicta et moenibus clausum audiit, Gressum retorquet perque confertas ruens Hinc inde turmas ‘aut necem aut natum date’ Exclamat. alia parte sollicitus volat Stricto requirens ense Theodorus patrem. Sic, dum parenti natus et nato parens Consulere tentat, providet neuter sibi.	290
	Uterque spisso militum arctatus globo, Multus cruentus caede, nequicquam infremens, Repente manibus undique iniectas manus Et vincla sentit addita.	
Ger.	ah! potius vaga	
	Utrumque sineres, Alcime, elabi fuga.	300
	Vinctum catenis, cive vel septum suo Retinere in urbe Caesarem, an tutum est satis?	
Alc.	Late vagari liberum et populis caput Praebere salvum Caesarem, an tutum est magis?	
Ger.	Facile recurrit prima pectoribus fides, Praesente Domino. vincla quae dederat furor,	305
	Amor refringit; sceptrum quae rapuit, refert.	
Alc.	Citius resumit sceptra, quae nullis manus Premitur catenis, quae petit supplex opem Armatque reges, causa quos regum movet, Suadetque regem et regium ulcisci decus.	310
Ger.	Urgente fato, cum domus regum excidit, Auxilia raro regibus reges ferunt. Externa princeps regna qui supplex adit, Terret precando; quasque fortunae vices	315
	Expertus, illas creditur profugus, miser Inferre amicis. sedibus pulsum suis Fovere regem rara laus, ingens metus.	

Alc.	Laus rara; tamen hanc ipse Mauricius tulit Pulsumque regnis Chosroen nuper suis Excepit ultro illaque restituit pius, Qua saepe victor ante perculerat manu. Hanc ferre laudem Persa meritorum memor Poterit voletque, ut gratiam referat parem.	320
Ger.	Apud potentes saepe meritorum perit Aut pigra cessat gratia.	325
Phoc.	hinc, fateor, premit Periculum et illinc, sive Mauricium arceat Carcer revinctum, sive delapsus fuga Liber vagetur; sola consiliis viam Modumque facient odia populorum aut favor. Hoc quoque remordet, prole de gemina puer Quod fugit; ambos cum patre aut decuit capi Aut fugere natos. ille captivis opem Parare flendo poterit. imbellis, pius Tenerque fletus saepe plus armis valet.	330
Alc.	Ubicumque lateat, haud diu poterit puer Latere; clausus omnis effugio locus, Omnesque latebras miles explorat sagax.	335

Scena tertia

Phocas, Germanus, Alcimus, Achillas, Mauricius, <Milites>

Ger.	Quis hic tumultus?	
Ach.	ecce, captivus gradum	
	Mauricius infert.	
Ger.	ferre conspectum vetant	340
	Odium pudorque.	

Scena quarta

Phocas, Alcimus, Mauricius, <Milites>

Maur.	quis locus? quem me capit?	
	Hic sceptra gessi! hic vincla Mauricius gerit!	
Phoc.	Cedamus istinc, Alcime.	
Alc.	an vinctum times?	
Phoc.	Me vultus iste terret.	
Maur.	o vindex Deus,	
	Haec cernis!	
Alc.	<i>ad Phocam</i>	
	illum respice, alloquio pete.	345
Maur.	Haec cerne; non ut turpe praedonis caput, Coelo pudendum, iratus aspicias, precor. Me cerne, iuste iniqua patientem vide.	
Phoc.	Quod dura pateris vincla, quod solio excidis, Miserande princeps, hoc mihi parce, obsecro, Scelus imputare.	350
Maur.	quod tuum est, tibi; quod meum est, Mihi imputabo.	
Phoc.	tristia in Domini caput Movere bella et rumpere adstrictam fidem Me castra, populus, vel reluctantem, iubent.	
Maur.	Obsequere castris; quod iubet populus, nefas Absolve. dignum utrius patrandi eligunt Sceleris ministrum.	355
Phoc.	utrique me norunt male, Nec ipse nosti. nosse me si vis, potes; Et ipse possum ... quid retro vultus refers? Quid nostra refugis ora?	
Maur.	plectentem Deum Respicio, non aspicio ferientem manum.	360
Phoc.	Manum coactam, nunc quoque addictam tibi Et ista, quae fers, vincla reverentem vide.	
Maur.	Quae sceptra fregit, vincla reveretur manus.	
Phoc.	Acies fremebat, te sibi ad poenas furens Populus petebat. profuit vinctum capi: Intenta capiti tela sic melius fugis, Sic ira populi fracta suppliciis modum Odiisque ponit, sic tua in tuto est salus.	365
Maur.	Dum prodit, etiam perfidus grates sibi, Credo, reposcit; stat mea in tuto salus, Dum trador hosti.	370

- | | | |
|-------|---|-----|
| Phoc. | in hoste praesidium potes
Reperire: possum Caesarem et, si vult, volo
Salvum tueri, possum et incolumes tibi
Praestare natos, si modo tradas mihi.

Maur. | 375 |
| | Tibi nempe natos tradat imprudens pater!
Tibi, parricida! tu mihi natos velis
Praestare tutos! credere hoc patri licet?
Omitte fraudem. posse te sobolem mihi
Servare credam, cum sciam per te erui
Non posse; periit illa, si per te potest
Perire. sed ne possit, est cautum mihi.

Phoc. | 380 |
| | Melius caveri decuit; haud nato satis
Utrique cautum est. ecce, Theodorus subit. | |

Scena quinta

Phocas, Alcimus, Mauricius, Theodorus, <Milites>

- The. Ubi perduellis, praedo sceptrorum, socer? 385
Maur. Ah! nate!
The. genitor!
Maur. patris infelix comes!
The. Miser esse merui; perfidum, immitem voca:
Ego te scelestus perdidi.
Maur. ignarus patrem
Tu perdidisti; per patrem ignarus peris,
Theodore.
The. nam quis corde tam dirum nefas
Fovisse socerum crederet! 390
Maur. patri fides
Habenda fuerat, nate: fugiendum fuit,
Iubente patre; quae tibi Phocas parat,
Non tibi timerem probra.
Phoc. ni faceres probra,
Non tibi forent timenda.
The. sceleratum caput! 395
Ignave miles! tune Germani audeas
Favere coeptis? Caesarem solio eiicis,
Ut capta Dominis scepta praedoni offeras.
Et hoc videbo!
Phoc. proiice indignos metus,
Non hoc videbis

Maur.	numquid indignum magis Videbit?	400
Phoc.	unum hoc spondeo, nunquam alteri Delata per me sceptrum, quae Caesar tulit, Arguerit orbis.	
Maur.	desine ambiguis dolos Celare verbis. corde quid vafro tegas, Sat video.	
Phoc.	me lux ista manifestum dabit Urbique et orbi.	405
The.	scelera iam nimium tua Patuere luci.	
Phoc.	ne tuos laedant nimis Et patris oculos, cum patre obscuris caput Reconde tenebris. carcere inclusos preme Ambos, Achilla.	
Maur.	quo gradum cumque inferam, Tua me sequentur scelera. quae manibus gero, Tua illa, tua sunt crimina.	410
The.	o superi! sacra Si quae supersunt iura! mancipium imperat, Paret satelles transfuga! est carcer domus.	

Scena sexta

Phocas, Alcimus

Alc.	Quo verba spectant ista? te sceptrum alteri Negas daturum. an, Caesari ut referas, rapis?	415
Phoc.	Erepta referam sceptrum! degeneres fugit Mens nostra sensus. regna vel nunquam eripe Vel redde nunquam.	
Alc.	et illa Germano negas Cedenda?	
Phoc.	nam cur sceptrum Germanus ferat?	420
Alc.	Haec obtulisti. sperat; id populus velit.	
Phoc.	Cognosce Phocam, amice: Germano obtuli, Ut commodaret criminis alieno manum Nomenque, neu quis alter ambiret sibi. Me iam penes sunt illa.	
Alc.	cui servas?	
Phoc.	mihi.	425

- Alc. Tibi? ... at ...
 Phoc. mihi, inquam; mene pretiosum scelus
 Patrare credas, molem ut invidiae gravem
 Referam inde et alter praemium sceleris ferat?
 Si nulla merces criminis, crimen fuge;
 Si crimen audes facere, mercedem cape. 430
- Alc. Sed qua videbit mente Germanus sibi
 Periisse vota.
 Phoc. doleat.
 Alc. huic populus favet.
- Phoc. Mihi castra.
 Alc. quae te castra voluerunt ducem
 Trepidus tumultus, orbis an Dominum volent?
 Credis Philippus, Maximus, Paulus, Titus 435
 Aliosque fama aut genere Caesaribus pares
 Aliena velle iura et imperium sequi?
- Phoc. Aperta loquere. quod mihi obscurum est genus
 Nec vetera possum decora et insignes patrum
 Iactare titulos, credis ad solium mihi
 Aditum negari? falleris; solio viam 440
 Novitas recludet ipsa. patricio duces
 Altoque creti sanguine hunc Dominum timent,
 Accepta patribus scepta qui referat suis;
 Nimium hic verendus. miles obscurus placet,
 Quem non avitus sanguis, at studia et favor 445
 Dominum clearint; hic facit nullos metus.
 Reges putabunt esse, qui regnum mihi
 Dederint habere. vade, dum pretio et minis
 Tentabo latebra eruere Iustum sua:
 Ingredere castra, aggredere promissis duces;
 Velintne certam facere iurando fidem,
 Inquire, nostrum quolibet pacto caput
 Ipse obligato. 450
- Alc. sed cave, ut possit caput
 Solvi obligatum. scepta si dederint duces,
 Promissa repetent. 455
- Phoc. scepta me absolvant satis.

Actus tertius

Scena prima

Philippus, Germanus

Ger.	Frustra, Philippe, corda Germani obstinas Mollire verbis. Caesarem optavi fugam Reperire ferro; at ipse quandoquidem induit In vincla palmas, vincla, quae meruit, ferat. Ferendo discat sceleris expertes manus Non premere iniquo pondere. has tulumus prius, Quas fert catenas - quoque meminisse horreo; Illo iubente tulumus.	460
Phil.	ast illas quoque, Iubente eodem, manibus eripuit gener.	465
Ger.	Dic annuente, dic prope invito patre.	
Phil.	Sed tum annuente, vincla cum vixdum sibi Iniecta palmae senserant.	
Ger.	quamvis cito Adempta, quamvis illa vix tangat manus, Non eluendas imprimunt palmis notas.	470
Phil.	Generosa facta quamlibet turpes valent Delere maculas. Caesarem hac ipsa manu Exsolve vinclis, vincla quae sensit prius. Vinclis ab ipsis maius accipient decus Pietas fidesque.	
Ger.	nomina haec absint procul, Pietas fidesque; sola iam nobis placet Vindicta, virtus.	475
Phil.	tune virtutum loco Vitium reponas?	
Ger.	fortibus semper viris Quodcumque placuit, esse virtutem reor.	
Phil.	Sua quoque magnos magna dedecorant viros Falluntque vitia.	480
Ger.	nemo vindictam arguat, Si iusta poenas exigit meritis pares.	
Phil.	At esse iusta subditi in Dominum nequit Vindicta; si quid principes poenae inferunt, Aequa ferendum mente. venientem licet Plagam avocare, reddere acceptam haud licet. Quod si aequiori pondere offensam dolor	485

	Poenamque libret, quam imparem poenam exigas, Animus videbit.	
Ger.	imparem levitas facit.	
	Me vincla Caesar iusserat durus pati,	490
	Illum catenas ferre non iubeo; sino.	
Phil.	Qui vincla Dominum ferre non prohibet, iubet; Fidemque prodit, quisquis haud illam probat, Cum dubia poscunt tempora.	
Ger.	invitus fidem	
	Violare cogor. ille perfidiam iubet,	495
	Quicumque fido pectori haud fudit satis.	
Phil.	Meliora forte, qui venit, corde inseret Consilia et agram leniet mentem gener.	

Scena secunda

Germanus, Theodorus, <Miles>

The.	Quis me sub auras carcere exactum vocat? Quo me satelles?	
Ger.	respice; en, adsum socer.	500
The.	Me redde tenebris, miles. aethereum piget Videre lucem, quam simul videat socer.	
Ger.	Theodore, gressum siste.	
The.	tu sequere et vide, Qualis recessus proditum teneat patrem Qualisque natum. agnosce tenebrosam specum,	505
	Qua te merentem immerserat prudens pater, Qua te immerentem eduxit imprudens gener. Haec vincla cerne: agnoscis?	
Ger.	agnosco, et pudet	
	Tulisse.	
The.	nec te Caesari et genero pudet Eadem dedisse. perge: iam versum iacet	510
	Solum parentis, fraude convulsum tua; Absolve crimen: horrida inclusi specu Caremus aura, at vivimus; vitamque eripe, Haec una restat.	
Ger.	paululum amoto gradu	
	Subsist, miles ... tu mihi placidam, precor, Adverte mentem.	515
The.	quos paras iterum dolos?	

- | | | |
|------|---|-----|
| Ger. | Nunquam parandis pectus hoc dedimus dolis.
Aperta gerimus odia vel apertam fidem;
Nec me impotentem sacra regnandi sitis
In scelera traxit. sceptrum quin etiam mihi
Oblata repuli pertinax; quod si tamen,
Iubente populo, sede Mauricius sua
Excideret unquam, fateor, ut possem dare,
Illam expetivi: hac cecidit expulsus pater,
Germanus offert, occupa. | 520 |
| The. | in solio patris
Sedeam superbus nempe, dum genitor iacet
Mersus tenebris; rapta per dirum scelus
Maiore sceptrum scelere contrectem impius!
Germanus offert; ante sint tua, quam offeras. | 525 |
| Ger. | Mea illa, mea sunt, quae dare, ut libuit, licet. | |
| The. | Quo iure? | |
| Ger. | quod deserta, quod populi favor | |
| | Tradit gerenda. | |
| The. | tradit haec populi furor, | |
| | Traditne Phocas? | |
| Ger. | ut mihi tradat, rapit. | |
| The. | Sic te scelestus fraudibus fraudem implicans
Ludit volentem; sceptrum sic spondet tibi,
Dum sibi, gerenda nomine alieno, rapit. | 535 |
| Ger. | Me ludit ... ah! si crederem in Phocam scelus
Cecidisse tantum ... | |
| The. | crede mihi, crede et patri
Et crede Phocae. | |
| Ger. | tendit huc aliquis gradum,
Referto mecum. | |

Scena tertia

Priscus, Heraclius, <Miles>

- Prisc. testibus vacat hic locus. 540
 Ingredere, nate, ... i, miles, et Phocam edoce
 Adesse Priscum, laeta qui secum ferat
 Et verba facere pauca secreto velit.
 O nate nec iam nate, qui nunc sis, vide.
 Nunc Heraclium pone, Iustinum ut geras.
 Posuisse nomen pristinum et nomen novum 545

	Cepisse, nihil est. nominis dignos cape Animos superbus, principem totum induat Spiretque pectus.	
Her.	principem ut totum induat, Satis Heraclio est, nomen assumat novum; Non est necesse spiritus capiat novos: Iam corde gerimus principem, et sensus, pater, Dignos dedisti principe.	550
Prisc.	hos animos ferat Frons ipsa, nunquam palleat turpi metu. Oculi Tyrannum torva respiciant ferum, Pulchre feroce. principem sic te proba.	555
Her.	Plerumque vultu impressa Caesareo micant Superba quaedam signa, quae stirpem indicent, Quae conspicando paveat humanum genus Colatque cum tremore mortales Deos. Sed blandientum vocibus si qua est fides, Vultus superbos ac prope imperio pares Natura nobis indidit.	560
Prisc.	fractum nihil, Formidolosum, imbelli, lacrymosum nihil Coram Tyranno loquere.	
Her.	quid deceat loqui, Phocas docebit.	565
Prisc.	forte - quod patrium fugit Meminisse pectus et quod avertat Deus -, Sed forte saevus, rigidus, irarum impotens Certam Tyrannus destinat mortem tibi.	
Her.	Pericla quanta nomen assumptum trahat, Quo stare pretio possit, hic animus videt.	570
Prisc.	Et videat idem, quanta generosam necem Olim sequatur gloria. aeternam dabit Mors ista vitam. morte servatur tua Iustinus ille, Caesarum extremum decus Forsan futurus; patriae ultorem paras Orbique Dominum.	575
Her.	desine haud timidum mori Stimulare verbis. non sibi, at patriae et suo Nascuntur omnes principi. huic vitae et necis Pretium ferendum est. hanc mihi a teneris, pater, Legem dedisti: traditam teneo memor. Vita docebo et morte, quo natus patre, Quo sim magistro edoctus. hostili manu, Non indecoro vulnere illatam necem Excipere nobis laetius forsitan foret; Sed vel securi tortor abscindat caput,	580 585

	Oculo irretorto vulnus excipiam lubens. Si cadere pulchrum est, non facit pulchram manus, Sed causa mortem.	
Prisc.	sanguinem dignum patre Agnosco, dignum Caesare; et, si fas loqui, Ipsi invidendum Caesari. magnum est decus Nascendo fieri Caesarem, at non est minus Vitam tueri Caesarum. id casus facit, Hoc sola virtus praestat ... amplexum pete, Dum nemo testis, dum moram Phocas trahit.	590
	O nate ... sed iam lingua dediscat pium Blandumque nomen.	595
Her.	o pater!	
Prisc.	patrem nefas Ultra vocare.	
Her.	iam mihi non sis pater!	
Prisc.	Nomen paternum absistit; at totus manet Animus paternus.	
Her.	nomine ablato patris, Quem te vocare deceat aut liceat mihi?	600
Prisc.	Coram Tyranno quodlibet probrum ingere, Dic proditorem, barbarum ...	
Her.	o superi! an cadant Ista in parentem nomina? in Phocam cadent.	
Prisc.	Me lumine irato aspice ...	
Her.	ah! potius tuos, Oculo reflexo, fugere conspectus iube. Si te requirent lumina, haud poterunt satis Celare sensus pectore indociles premi. Me teque fallent perfida et Phocae patrem Natumque prodent.	605
Prisc.	ergo conspectus fuge Cautus paternos ... fallor? an Phocas venit? Abscede ... miles, traditum hunc puerum tene.	610

Scena quarta

Priscus, Phocas

Prisc.	Non te doloso fallere incautum licet Sermone, Phoca; si tamen liceat, iuvet. Nec me negabo Caesaris sobolem fuga	615
--------	--	-----

	Voluisse, sinerent fata, praereptam tibi. Hoc velle adegit, quam dedi Domino, fides; Hoc facere vetuit, quae tibi adstrinxit fidem Fortuna. quod si fugere victoris manum Scelus est, luam ipse, at parce Iustino pius.	620
	Permitte, longum vivat in luctus suos; Nulos timores faciet imbellis puer. Tantum querelis corda ne moveat suis, Illum profunda lucis aspectu procul Specu reconde. hic irritos fundat miser	625
	Perdatque gemitus, nemini liceat sonos Audire tristes, marcidas fletu genas Videre liceat nemini.	
Phoc.	et puero et tibi Metuere parce: reditus absolvit fugam. Utrique dabitur venia. quam dederas fidem Domino priori, Prisce, nunc serves novo. Hanc si probabunt facta, me pariter tibi Probabo factis. prodeat coram puer.	630

Scena quinta

Priscus, Phocas, Heraclius, <Milites>

Prisc.	Iustine, prodi.	
Phoc.	corda quis pulsat pavor?	
	Quis terror oculos?	
Her.	iamne libertas mea	635
	Addicta pretio est? praemium an dignum satis	
	Solvet Tyrannus?	
Phoc.	nunc vide, qui te locus,	
	Iustine, teneat.	
Her.	video, quem teneas locum;	
	Nempe occupatum fraude, pollutum tuis	
	Sceleribus, olim Caesarum aspectu sacrum.	640
Phoc.	Nomen superbum Caesares tumido excidant	
	Et corde et ore. disce Mauricum patrem.	
	Unum hoc superstes nomen.	
Her.	hoc unum mihi	
	Satis est superque, ut spiritus magnos geram	
	Pulchroque fastu infame despiciam caput.	645

Phoc.	Disces vereri mox adorandum caput Victus; revinctus interim doceat pater Animos feroceſ ponere.	
Her.	effigies sacrae, Simulacra patrum vetera, quae passim vides Redimita lauro, voce quae careant licet, Ipsa videntur fronte perfidiam et genus Tibi exprobrare; spiritus doceant feros Comprimere, Phoca, et ora, si superest pudor, Doceant pudore.	650
Phoc.	tu mihi vitae exhibes Simulacra cassa. tibi dabo vivum patrem.	655
	Miles, revinctum huc siste Mauricium ocyus.	
Prisc.	Ah! parce, Phoca, parce Mauricium dare Nobis videndum nosque Mauricio dare Pariter videndos. poterit aspectum pater Perferre nati? poterit aspectus meos Perferre Caesar proditus? potero illius Perferre vultum proditor? quanta - heu! - tribus Congressu in uno vulnera infligas, vide.	660
Phoc.	Plagas salubres inferam; ex animo tibi Vanos timores eruam, tumidos patris Natiue frangam spiritus. discet puer Accipere sensus, quos patris fatum dabit.	665
Prisc.	Absente patre, patris infaustas vices Docebo, dicam carcere inclusum horrido, Gravia ferentem, extrema metuentem mala. Dicam ...	670
Phoc.	videbit: visus erudiet magis.	
Prisc.	Iam flere didicit. ecquid ulterius petis?	
Phoc.	Det lingua poenas.	

Scena sexta

Priscus, Phocas, Heraclius, Mauricius, <Milites>

Phoc.	te fuga elapsus puer	
	Fecit superbū, Maurici. accede et vide ...	
Maur.	Ah! Prisce! ... nate ... barbare! ... o superi! o fides!	675
Phoc.	Alloquere natum, gerere captivum doce.	
Maur.	Scelerum magister, quam bene infami doces Decipere Dominos fraude! me Phocas tamen	

	Prodat nefandus transfuga, id patior, fero.	
	Scelus scelestus fecit. at prodas quoque	680
	Tu, Prisce; tu ...	
Prisc.	cui debeo, servo fidem.	
Phoc.	Me sequere, Prisce; te mihi addictum volo.	
Maur.	I, perge, sequere, digne perfidiae comes.	
Prisc.	Me patere, Phoca, liberum moestis pedem Efferre tectis. tradidi puerum in manus;	685
	Nunc et dolore ne patrem nimio impleat,	
	Illum recondam carcere. hoc unum licet,	
	Tu parce plura.	
Phoc.	sedulo includi iube.	
	Dein tibi manere aut egredi ex aequo licet.	

Scena septima

Priscus, Heraclius, Mauricius, <Milites>

Prisc.	Iustine, patrem desere et iussis caput Absconde tenebris.	690
Maur.	tam cito puerum abstrahas, Nefande lictor. tradidi, ut serves; refers, Ut dulce tetro carcere immergas caput.	
Prisc.	Puerum, satelles, amove.	
Maur.	at saltem prius Natum intueri liceat, amplexus petam.	695
Prisc.	Omitte inanes nectere alloquio moras. Hunc rape, satelles.	
Maur.	abstine indignas manus.	
Prisc.	Obsequere.	
Maur.	siste. ... iussa si spernis mea, Reverere Phocae imperia; me natum alloqui, Ut me magistro gerere captivum sciat, Patitur iubetque. tune, quod misero annuit	700
	Patri Tyrannus, auferas misero patri, Peior Tyranno?	
Prisc.	quod tibi Phocas dedit, Non hoc faventis munus, irati fuit.	
Maur.	Dono Tyranni, sive concedat favor, Seu tribuat ira, perfrui iuvat, et volo.	705
	Patere, madentes osculo abstergam genas	

	Bibamque lacrymas. hoc negas, dure ... hoc amor Dabit paternus. irruam.	
Prisc.	<i>ad militem</i> excubias age Paulum remotus, dum suo indulget miser Genitor dolori.	710
Maur.	nate, ... quid vultum invides? Dilecte nate? nemo iam praesens adest, Qui laedat oculos: miles abscessit, pedem Retulit Tyrannus, solus est Priscus super, Qui iusta meruit odia, quem iuvat et licet Abnominari; at lumina avertit quoque Pudore victus. respice: ultra quid times? Iustine, patrem agnosce. quid refugis? siles. O nate ... <i>Heracium amplexitur.</i>	715
Her.	princeps ...	
Maur.	quis mihi obicitur puer? Superi! quis error? miles, ... huc Phocam advoca.	720
Prisc.	Absiste, miles; nullus hic error. pater, Agnosce natum.	
Maur.	vestis haec nati fuit: Agnosco.	
Prisc.	nati pectus hic etiam gerit.	
Maur.	Anne Heraclius fraude Iustinum velit Eripere patri? an ille dicatur meus?	725
Her.	Ignosce fraudi. non tibi ereptum velit Fraus ista natum. sed tibi attribuit novum, Non qui doloso pectore et fratrum aemulo In iura sceptri transeat, sed qui afferat Moriendo fratri spiritum, imperium patri.	
	Natos parentes sanguine acquirunt suo, Ego te parentem sanguine acquiram meo: Hac lege princeps dici amem et merear tuus.	730
Maur.	Ah! ne cupido tam sacra incessat, puer, Ut, me parente dicto, ames dici meus! Te nostra premerent fata, tu scelere obrutus Nostro perires. sorte te voluit Deus Meliore nasci, cum dedit Priscum patrem; Laetare tali patre, te nato pater Laetetur.	735
Prisc.	ultra prole laetabor mea, Si tu per illam prole potiaris tua.	740
Maur.	Tua carebis, nec frui dabitur mea. Sed cur Tyranno prodis immeritum caput?	

	Cur venit iste? latebra quae servat meum? Quianam relictus?	
Prisc.	iam fugae accinctus puer Periculum purpurae exuerat decus, Vestem Heraclii induerat. extemplo irruit Multus satelles ense nudato minax Circumque fusus tecta Iustum petit. 'Iustinus', inquam, 'dabitur, hunc sistam modo Et ipse Phocae munus optatum offeram.'	745
	Iubeo Heraclium purpura indutum foras Prodire; prodit linteo vultum obtegens Luctumque simulans. sequitur ignarus doli Suaque praeda, nec sua, exultat ferox Phocae satelles.	750
Maur.	digna generoso patre Generosa proles, tene Iustini vices Miseras subire?	755
Her.	debeo, possum, volo.	
Maur.	Ah! vive.	
Her.	moriar.	
Maur.	ergone immeritum sinam Pro me perire?	
Prisc.	patere, quod patitur pater.	760
Her.	Quod natus ambit.	
Maur.	quod vetat pietas.	
Her.	sinit Iubetque pietas. hoc sumus positi loco, Pro te perire ut liceat aut per te mori. Pro te peribo, fraude si frueris mea; Per te peribo, si meos retegisi dolos.	765
	Si pereo pro te, quod mihi surget decus! Si pereo per te, quis mihi surget dolor! Utrum e duobus imperet pietas, vide.	
Prisc.	Quid, Caesar, ultra noxias trahimus moras? Dum te Heracli vita sollicitum tenet,	770
	Forsan satelles suspicax animo dolos	
	Persentit, et me cura Iustini interim	
	Cruciat foditque. sed age, mutemus vices:	
	Natum dedisti, Caesar, ut servem, tuum;	
	Natum vicissim suscipe, ut serves, meum.	775
	Et dum vocari audebo Iustini pater,	
	Patere Heraclius te sibi dicat patrem.	
Maur.	Accipio pactum. vade, tu natum mihi Praesta et tuere, Prisce. tibi praesto tuum. Hunc mecum eodem carcere inclusum volo.	780

Prisc. Hunc tibi propinquo carcere includi sat est
Satiusque. ne quis te, Heracli, videat, cave.

Her. Cavebo. tu me respice extremum, pater.

Prisc. Adesto, miles: clade contiguis patrem
Natumque latebris. neminem videat puer,
Puerumque nemo videat.

Maur. haec Priscus ferat
Mandata? sequere sortis immeritus comes.

785

Actus quartus

Scena prima

Philippus, Germanus

- Phil. Audita, visa narro. sollicitus volat
Turmas per omnes Alcimus. reges supra
Supraque superos laudibus Phocam evehit
Ipsique poscit nomine imperium tuo. 790
'Germanus', inquit, 'vota Bisanti et sua
Huc sponte vertit omnia, ut solio insidens
Det iura Phocas.'
- Ger. sic meo fraudem impii
Praetextere ausint nomine!

Scena secunda

Philippus, Germanus, Theodorus, <Milites>

- The. an nondum satis, 795
Germane, nostris lumina explesti malis?
Quid, te iubente, rursus e tenebris trahor,
Mergendus iterum?
- Ger. perfidum ulcisci iuvat,
Faveto votis. multus excubias licet
Agat satelles, eximam vinclis manus. 800
The. Si faveo votis, eximes vinclis manus.
Me sola nempe iam tibi carum facit
Aliena culpa; nec, nisi ut noceas, velis
Prodesse nobis. sed age, quem sequitur recens
Vindicta?
- Ger. Phocam.
- The. corde quas dudum premit, 805
Patuere fraudes ergo.
- Ger. patuerunt satis,
Ut vindicare, si modo id liceat, velim.
- The. Iam vindicare licuit et, si vis, licet.

Phil.	Germane, sic est: in tua posita est manu Vindicta, ad omnes iamdiu nutus habes Populum obsequentem; prodigos animae dabo Fidosque amicos, sceptrum qui Phocae auferant Repetantque poenas. ipse me totum offero.	810
Ger.	Rapere Tyranno sceptrum qui possint, labor Reperire non est. rapta cui possim dare, Non reperit animus: capere Theodorus negat.	815
The.	Non reperit animus, sceptrum cui possis dare! Illa, illa Domino redde.	
Ger.	mene hosti iubes Referendo sceptrum reddere in nostrum caput Vertenda tela?	
The.	comprime indignos metus. Soluta per te dextera et sceptris potens Nunquam arma vindex in tuum vertet caput, Iramque veterem gratia officii recens Eradet animis.	820
Ger.	corde celari potest Offensa, nunquam pectore eradi potest.	825
The.	Punire Phocam sit tuus deinceps labor, Effusus omnem diluet culpam cruentum.	
Ger.	Referte gressum. perfidus castris redit Phocae satelles; quidquid arcani tegit, Animo eruendum est. vade, amicorum manus	830
	Arma, Philippe.	

Scena tertia

Germanus, Alcimus

Ger.	castra quo vultu ferunt Pressum catenis Caesarem? an factum probant Faventque coeptis, Alcime?	
Alc.	et coeptis favent, Germane, et armis, quidquid effectum est, probant. Per te superbo Caesarum exemptus iugo Miles triumphat: ‘parta libertas’, ait, ‘Nec iam timetur, qui gravi culpam levem Poena Tyrannus urgeat. dabitur quies Labore fractis, hoste nec pulso recens Per inhospitales orbis extremi plagas	835

	Erit petendus hostis; at patriae otio Frui licebit. Caesar hoc spondet novus.'	
Ger.	Quis ille Caesar?	
Alc.	quem dabis.	
Ger.	quid si manum	
	Adhibere sceptris ipse Germanus velit?	
Alc.	Quodcumque libeat, velle Germano licet.	845
Ger.	An imperanti sponte parebunt duces?	
Alc.	Discent vereri iussa. fors suberit timor, Ne sceptra referas Caesari. sacerum gener Poterit movere; et forsitan ...	
Ger.	hic absit timor:	
	Si sceptra capiet, sceptra non ponet manus.	850
Alc.	Fors et timebant, ne tuos solus ferat Populus amores, castra ne foveas minus Et, quas priores ferre pro meritis decet, Ferant secundas, plebe praeposita, duces.	
Ger.	Bene est. timendo vana, me vera admones Timere.	855
Alc.	nullos dicta portendunt metus.	
Ger.	Omitte. nimium metuis, ut metuam nihil.	

Scena quarta

Germanus, Alcimus, Phocas

Ger.	Dum castra, populus, fata consiliis favent Amica, nostris te manum, Phoca, ultimam Adiicere coeptis convenit. Dominum abdicat Exosa plebes pristinum, accipiat novum.	860
Alc.	Quamvis secundet copta popularis favor, Tamen est timendum ...	
Ger.	ne mihi obtrudas tuos Ultra timores, Alcime, et Phocam sine Aperire mentem.	
Phoc.	incerta consilii labat Ipsoque rerum territa eventu stupet Mens dubia. vento impulsa cum fertur ratis Nimium secundo, triste naufragium facit; Tum quoque timendum, vela ne rapide ferant Illuc, recursus unde difficilis foret.	865 870

	Inhibere cursum praestat et rebus moram Iniicere laetis.	
Ger.	semper in rebus novis Dum laeta spirat aura, properato est opus; Et sola peperit triste naufragium mora.	
Phoc.	Capiti coronam inserere, nisi possit manus Asserere vindex, aleae plenum est opus Periculosa.	875
Ger.	capite Germanus luat, Quidquid pericli est. ergo nunc propere moram Omnem amputato. castra subeamus simul, Sub signa coge militem, appella duces, Alloquere; meque Caesarem et Dominum voca Primusque adora.	880
Phoc.	si reclamabunt duces, Si te negabunt Caesarem, invitis putas Dominum ingerendum?	
Ger.	cur mea invitus ferat Imperia miles?	
Phoc.	cur tua excipiat volens Imperia miles?	885
Ger.	quaeris?	
Phoc.	et quaero, et lubet Audire.	
Ger.	dicam, Phoca; at hoc quaeram prius, Quorsum ista nobis, quae tua inscripsit manus? 'Felix Germanus, si felix audeat esse; Qui nunc urbis, erit, cum volet, orbis amor.'	890
	Sponsore Phoca et indice, imperium penes Fuerit volentem. si velim, obtineo; volo, Promissa solve: trade dominatum ... siles! ... Avertis ora; sentio infames dolos,	
	Agnosco Phocam, perfidum, ingratum, impium Agnosco.	895
Phoc.	Phocam perfidum, ingratum, impium Agnoscis. at nondum ille violavit sacra Generis propinqui iura.	
Ger.	perfidiā audeas Cumulare probris; at ego ... <i>gladium stringit.</i>	
Alc.	quis stimulat furor?	
Phoc.	Permitte, ferrum stringat.	
Alc.	ah! potius premat Uterque ferrum.	900

Ger.	parcit et ferrum premit Timida inquinari sanguine ignavo manus; Carnificis armis iste debetur cruar.	
Phoc.	Cum iura dederis mortis ac vitae arbiter, Carnificis armis iste fundatur cruar.	905
Ger.	Te iam superbo culmine evectum imperi Supraque vulgus humile et agnatos greges Inserere coelo aequale Caesaribus caput, Insane, credis; credulum errorem abiice. Nondum occupasti summa, vix medium tenes; Quod si supremum iam pede insistas gradum, Non te supremus subtrahat tutum gradus Nostro furori. nomine evectus meo Solum attigisti, dextera eversus mea Tu mox ad ima corrues.	910

Scena quinta

Alcimus, Phocas, <Milites>

Alc.	quales minas	915
	Iaculetur, audis?	
Phoc.	audio imbelles minas	
	Et sperno.	
Alc.	nullum sperne. Germanum time: Prodesse quantum potuit impensus favor, Obesse tantum poterit accensus furor.	
Phoc.	Favore cavit, ne mihi possit furor Deinceps nocere. sed age, quam dederint tibi Spem castra, loquere.	920
Alc.	vota vicerunt tua, Ultroque sanctam, vix bene admota prece, Tibi obligarunt iureiurando fidem.	
Phoc.	Et posse nobis facere Germanum putas Iustos timores? nostra - quid refugit pudor Coram fateri? -, nostra graviori metu Pulsat foditque corda Iustinus puer.	925
Alc.	At nonne puerum carcer inclusum tenet?	
Phoc.	Sed non tenebit carcer inclusum diu. Puerum, satelles, carcere eductum admove. Terrere casset, vivere aut casset puer.	930
Alc.	Te terret infans! quos tibi fingis metus?	

Phoc.	Quos fecit infans ille, ut aspectus meos Primum subivit; lumina ut fixit meis Intentus oculis, gelidus erravit tremor Totos per artus, horrui. infantis patrem Coram vocavi, venit; aspexi semel Iterumque, ut intuendo conferrent suos Oculi timores. patre sed natum magis Timuere, minus infante timuerunt virum. Sed iam propinquat. respice et nostros metus, Seu nunc silebit, verba seu faciat puer, In fronte, in oculis lumine attento lege.	935
		940

Scena sexta

Alcimus, Phocas, Heraclius

Phoc.	Ten' sapere tandem fata docuerunt patris,	945
	Iustine?	
Her.	Caesar grande documentum dedit,	
	Dat turpe Phocas.	
Phoc.	turpe quid Phocas docet?	
Her.	Quodcumque video.	
Phoc.	genitor haec docuit loqui.	
Her.	Virtutem amare, odisse sceleratum et scelus,	
	Utrumque didici.	
Phoc.	discere hoc etiam decet	950
	Linguae procacis sistere audacem impetum	
	Animosque rebus sumere adversis pares.	
Her.	Imbelli pectus, sordido effictum luto	
	Suique semper impotens, quale obtigit	
	Vili Tyranno, extollat arbitrio aut premat	
	Flando aut reflando sortis incertae favor;	955
	At corda, quae prognata meliori satu	
	Natura finxit, quale Iustinus gerit,	
	Immota perstant nescia infringi malis.	
Phoc.	Gerasne pectus nescium infringi malis	960
	Nulloque fato territum, experiar brevi.	
	Absiste ... cernis, quantus in verbis tumor,	
	In fronte fastus qualis insideat, vides;	
	Iam statue, inanes, Alcime, an faciat mihi	
	Infans timores.	

Alc.	mentis excelsae notas	965
	Animosque patrios ore Iustinus refert, Sed, praeter alti consicias generis minas, Nihil timendum fronte portendit puer.	
Phoc.	Securus illum conspicis; sed me replet Terrore totum. totus auditu fremo, Horresco visu, invitus, ignarus prope. Si loquitur ille, voce puerili tonat; Si me intuetur, fulgura ex oculis vibrat; Etiam superbo territat silentio.	970
Alc.	Causas timoris, quas sibi ignarus sui Effingit animus, crede nullas aut leves.	975
Phoc.	Causas timoris, corde quas tacito inserit Natura, credo grandis augurium mali. Praevertere omen fata terrendo monent; Parebo fatis.	
Alc.	plura Germanus furens Cavere monuit. forte, dum vanos foves Animo timores, ille vindictam parat Ictusque certos destinat.	980
Phoc.	quid agat, vide. Vincam timores interim et faciam, puer Timere discat.	

Scena septima

Phocas, Heraclius, Achillas

Ach.	poscit affatus breves	985
	Mauricius: hic adesse Iustinum audiit, Haec angit illum cura.	
Phoc.	praesentem volo. Veniat ... videbit, quos sibi luctus paret Superba proles, tumida et insano patris Fastu erudita.	

Scena octava

Phocas, Heraclius

Phoc.	pectus indomitum refer,	990
	Iustine, totas collige animoso sinu	
	Et prome vires: ferre quid possis, iuvat	
	Probare tandem; mortem an audebis pati.	
Her.	Tu'n imperare audebis?	
Phoc.	audebo.	
Her.	impera.	
	Cessas, quid haeres?	
Phoc.	impero, morere.	
Her.	at tremit	995
	Lingua imperando. sed bene imperio rudis	
	Trepidat Tyrannus. fortius patior necem,	
	Quam tu imperasti. sequere, morientem vide	
	Et expavesce.	
Phoc.	testis accedit pater,	
	Illum operire.	
Her.	potius - ah! - referat gradum	1000
	Oculosque.	

Scena nona

Phocas, Heraclius, Mauricius

Phoc.	adesto, Maurici: pulchram indolem,	
	Parente dignam fata nil timidam ultima	
	Subire ferro agnosce.	
Maur.	quo puerum iubes,	
	Puerum innocentem pertrahi?	
Phoc.	ad mortem.	
Maur.	o scelus!	
	Te, te, Tyranne, per sacrum si quid polo	1005
	Terrisque credis ... quid ago! Mauricium audiat	
	Phocas precantem! deerat hoc unum probris,	
	Porrigere dextram supplicem. at vitam alteri	
	Licet precari. si quis in precibus pudor,	
	Qui ferre Dominum supplicem durus potest,	1010

	Pudeat Tyrannum! - per tibi si quid pium est, Phoca, oro, parce.	
Phoc.	pereat haud meritus semel Perire.	
Her.	spernit non bene admotas preces. Melius precabor: te mihi attentum volo, Tyranne; te per, quod tibi solum est sacrum,	1015
	Scelus omne, te per quidquid infandum, impium, Abominandum, infame, inhumanum uspiam est, Oro, paratum absolve quam primum nefas	
	Praesens, remoto Caesare; hoc Phocam precor.	
Phoc.	Cumulabo vota: Maurici, gressum amove; Iustine, perge.	1020
Maur.	errore te, Phoca, decet Tandem levari: scisne, quem properet furor Mactare?	
Phoc.	patrem te scio. scire hoc satis.	
Maur.	Erras, Tyranne.	
Her.	m', en, tuum eiuras, pater?	
Phoc.	Loquere, quis error?	
Maur.	Priscus est olli pater, Est Heraclius nomen.	1025
Phoc.	an fallis, puer? Tu'n Heraclius?	
Her.	nectere ambages amat Morasque Caesar; amputa caput et moras.	
Phoc.	Certum est, peribis, sive Mauricius moras Nectit dolosas, sive Iustini vices Mentitus ambis.	1030

Scena decima

Phocas, Heraclius, Mauricius, Iustinus, <Milites>

Ius.	<i>in interiore theatri parte.</i> cedite, invisum genus.
	Haec nota, vidit ista nascentem domus. Me sinite.
Maur.	quae vox!
Ius.	reddite immites patrem,
	Aut me parenti reddite.
Phoc.	accessum date.

Her.	Procul hinc recede.	
Ius.	patere.	
Her.	quo pergis, miser?	1035
Ius.	Patrem requiro, video! complector ... pater!	
Maur.	Ah!	
Phoc.	tune natum, Maurici, agnoscis tuum? Haec est propago vera? num fraudes struit Iustinus alter?	
Ius.	quis patrem alloquitur ferox? Tune ille Phocas?	
Phoc.	tune Mauricii genus?	1040
Ius.	Frontem intuere.	
Her.	agnosce purpureum decus.	
Ius.	Omitte fraudem. purpurae assumptum decus Non repeto; redde nomen et capit is simul Pericla redde.	

Scena undecima

Phocas, Heraclius, Mauricius, Iustinus, Achilles, <Milites>

Ach.	subita Theodori fuga	
	Vigiles fefellit.	
Phoc.	ecquis adstrictum suis	1045
	Solvit catenis?	
Ach.	ipse, qui fuerat datus	
	Custos, satelles.	
Phoc.	prodor. at poenas luet	
	Pro fratre frater, alter alterius fugam	
	Letho rependet. Maurici, natum exhibe,	
	Secerne, vel ego utrumque ...	
Maur.	ni mentem furor	1050
	Oculosque rapiat, nosse Iustinum satis	
	Iam licuit.	
Phoc.	illum ostende.	
Ius.	quid cessas, pater!	
Her.	Agnosce natum.	
Ius.	respice, aspectu satis	
	Natum probabis.	
Her.	loquere.	
Maur.	tu non es meus.	
Her.	Quod crimen in me? quid vetat, ne sim tuus?	1055

Ius. Tuus ego.
 Maur. meus es; nec diu fueris meus.
 Phoc. Istum, satelles, ne fugam arripiat, rape
 Ferroque ...
 Her. me, me potius.
 Maur. ultorem time,
 Tyranne.
 Phoc. eamus.

Scena duodecima

Phocas, Heraclius, Mauricius, Iustinus, Alcimus, <Milites>

Alc.	quid moras lentus trahis? En, Priscus amens queritur elapsum sibi Totaque volitans urbe Iustinum petit Armatque cives.	1060
Phoc.	Heracli, mihi iam dabis Pro patre poenas perfido.	
Alc.	poenam exigis Poenam daturus forte. collectas agit Turmas Philippus, carcere exemptum socer Ostentat alte civibus generum, et prece Uterque populus in tuum accendit caput Et, ni furentem providusflammam opprimis, Mox victor ignis turbine involvet simul Et castra et urbem.	1065
Phoc.	poenitet veniae et morae. Sed iam excitatas sanguine extinguae faces. Haec tria, satelles, capita praestabis mihi Mactanda, si quas patiar adversas vices; Haec conde tenebris.	1070
Her.	rebus afflictis datur Spes aliqua, Caesar.	
Maur.	distulit poenam Deus. Sed poena lente dum venit, gravior venit.	1075

Actus quintus

Scena prima

Phocas, Alcimus

- | | | |
|-------|--|------|
| Phoc. | Compressa tandem flamma, quam gemina face
Accendit in me sive Germani furor
Sperata repetens sceptrum seu Prisci fides
Addicta veteri Domino et indignans novum.
Iusta peremptus morte Germanus iacet,
Theodorus aegre spiritum extremum ciens
In nostra rediit iura, coepitorum comes
Philippus ausis excidit, Priscum tenet
Carcer revinctum. nulla iam regnis mora,
Solium occupandum est, Alcime. | 1080 |
| Alc. | haud equidem dedit
Exempla fors maiora, quam celeri impetu
Rerum potestas culmine ex alto ruat
Aut res ab imo surgat ad summum gradu.
Sed quod monebas ante Germanum, hoc memor
Servato, Phoca. laeta cum vento tument
Nimium secundo vela, ni retines sinus
Inhibesque cursum, triste naufragium time;
Ludum insolentem ludere in subitis amat
Fortuna. | 1090 |
| Phoc. | vulgi ne mihi errores cane.
Fortuna si qua est, dextra Fortunam facit;
Ludo insolenti ne mihi fallat fidem,
Vindex cavebit gladius et ludos dabit
Hodie cruentos. | 1095 |
| Alc. | civico maduit satis
Cruore gladius, nec tibi offertur cruar
Fundendus ultra. | 1100 |
| Phoc. | non mihi offertur cruar?
Vivit Philippus, Priscus, et peior malo
Parente proles vivit. | |
| Alc. | ah! parcat manus.
Hos tibi revinctos tradidi, his veniam precor;
Poscitque miles, qui diu belli duces
Illos secutus. quod petit, renuas, cave. | 1105 |
| Phoc. | Ergone inultos vivere et salvos sinam,
Voluere qui me perditum et semper volunt? | |
| Alc. | Voluere, sed si parcis, haud ultra volent. | |

- Phoc. Odisse ut unquam desinant, metuunt nimis,
Nimiumque timeo. 1110
- Alc. si tibi obiiciunt metus,
Si coelo eodem non frui tuto licet,
Mutare coelum, sede mutata, iube.
- Phoc. Hos nulla vivos spatia submoveant satis;
Vel si recessus incolant mundi ultimos
Terrasque nostris pedibus obversas premant,
Semper timebo. pareo monitis tamen.
Siste Heraclium, lictor, et Priscum simul,
Simul et Philippum; hos trahere, si licet, in meas
Dum tento partes, instrui navim iube,
Exosa quae mox capita, si flecti negant,
Unaque nostros avehat longe metus. 1115
1120

Scena secunda

Phocas

- Phoc. Imperia nondum detulit, veniam reis
Iam miles orat et iubet; danda est tamen.
Concedat aliquid, cuncta qui poscit sibi;
Regnare tanti est. quid tamen solium iuvet,
Si semper animus trepidet ancipiti metu
Timeatque regnis? ... sed quid incertus feror?
Unum hoc timendum, sceptrta Mauricio sua
Ne forte redeant. ense Mauricius cadat,
Cadantque nati, concident nostri metus. 1125
1130
Moriatur ergo prole cum tota pater,
Et hunc dolorem pectore infixum altius
Hostes superbi triste in exilium ferant.

Scena tertia

Phocas, Philippus, Priscus, Heraclius

- Phoc. Videsne demum, Prisce, quid proposit dolus?
Vides, Philippe, quid dolo adiunctus furor? 1135

Prisc.	Equidem fatebor, disparem nostra exitum Habuere vota. fraude Iustinum pia Servare volui, Mauricium impia Sobolemque tentas perdere; eventu caret Decepta virtus, fruitur eventu scelus. Non invidebo. misera sit virtus licet, Plus illa nobis scelere felici placet.	1140
Phil.	Phoca, triumphas. sed time alternas vices. Virtus resurgit saepe, et obruitur scelus. Excidimus ausis, forsan alterius manus Perficiet ausa. Caesar ultores habet, Et habet Philippus.	1145
Her.	parte votorum caret Summa Heraclius; tota non periit tamen Sperata merces: Caesari exhibui fidem, Odium Tyranno.	1150
Phoc.	vos mihi rabie efferos Offertis animos, pectus ego placidum offero. Ponamus iras, mutuam demus fidem.	
Phil.	Capiti nefando nulla debetur fides Et nulla dabitur.	
Phoc.	munerum largam manum Spernitne Priscus?	1155
Prisc.	Caesarem affari sine, Hoc Priscus orat, munus hoc unum petit.	
Phoc.	Dabitur petenti. adesse Mauricium volo Ocyus, Achilla ... si velit, felix potest Esse Heraclius.	
Her.	sit nisi Phocas miser, Nequeo beatus esse.	1160

Scena quarta

Phocas, Philippus, Priscus, Heraclius, Achillas

Ach.	castrorum duces
	Adsunt frequentes, copiam alloquii petunt.
Phoc.	Nefas morari. nostra iam vobis patent Consilia; nunc, quid vestra vos moneat salus, Consulite. monitis ipse Mauricius iuvet.

1165

Scena quinta

Philippus, Priscus, Heraclius, Mauricius

Prisc.	<i>ad pedes Mauricii cum Philippo concidens</i>	
	Ignosce ...	
Phil.	parce ...	
Maur.	surgite, o frustra pii Fortesque amici. vos ego immeritos miser His onero vinclis.	
Prisc.	dulce servavi male, Quod tradidisti, pignus; an veniam dabis?	
Maur.	Ipse Heraclii capite Iustini caput Salvum volebas, Prisce. quid velle amplius, Quid licuit ultra facere?	1170
Phil.	Theodorus mea Socerique dextra carcere exemptus redit In vincla fixus vulnere; an parces mihi?	
Maur.	Parco, Philippe. non ego eventu aestimo Consilia; solus praestat eventum Deus. Addicta nobis hactenus patuit satis Fides nimisque. vestra quod suadet salus, Lenite Phocam et sinite Mauricium sua Subire fata.	1175
Prisc.	si tuum superi vetant Prohibere lapsum, patere, quod certe sinunt, Cadente Domino cadere.	1180
Her.	iam, sineres mori, Fata Heraclius potuit et voluit tua Praeripere letho.	
Maur.	fata victurum manent Meliora, qui te mente tam celsa dedit Versare tantos spiritus; sortem indoli Parem reservat sortis humanae arbiter. Non hoc peribit funere indigno caput Dignum corona. fallor! an capiti imminens	1185
	Cerno verendum regiae frontis decus?	
	Non fallor: en, ut luce radiorum micat.	
	O vive, regna, Caesarum vindex, amor Orbis, Tyranni terror ... o faveat Deus!	
Prisc.	Quis error oculis, Caesar, illudit tuis?	
Maur.	O digne sceptro!	
Her.	adesse Iustinum putas; Adsum Heraclius.	1195

Maur. cresce in imperium puer.
 Phil. *auditur buccinae sonitus.*
 Auditis, ecquid buccinae increpuit sonus?
 Quid clangor iste?
 Maur. agnosco feralem sonum:
 Phocas Tyrannus imperat, vobis perit
 Mauricius.

Scena sexta

Philippus, Priscus, Heraclius, Mauricius, Achillas

Ach.	istinc cedite.		
Phil.	an rigidae caput		1200
	Dandum est securi?		
Ach.	vos mori miles vetat, Philippe, Prisce et Heracli; Caesar iubet Procul exulare.		
Her.	Caesarem agnosce, impie.		
Maur.	Parete iussis.		
Phil.	ergo dicendum vale, O care princeps.		
Maur.	cognite o sero nimis,		1205
	Philippe.		
Prisc.	Caesar optime.		
Maur.	o Prisce, o fides		
	Invicta!		
Her.	Caesarum ultime.		
Maur.	o magnis puer		
	Servande fatis! Prisce, commendo hunc tibi. Valete, amici, et vivite.		

Scena septima

Mauricius

affertur sedes regia.

Maur.	en, solium novo Fertur Tyranno. hic, lictor, hic solii locus.	1210
	Haec illa sedes ergo, qua elatum diu Suspexit orbis, unde deiectum videt.	
	Haec illa sedes, qua novum aspiciam modo Dominum incidentem; hinc dura sublimis dabit	
	Imperia Phocas, hinc truci aspectu ferox	1215
	Despicet humile, vile Mauricii caput Turpique letho addicet. o vindex Deus,	
	Qui dextra eadem praemium meritis refers Poenamque noxis: en, tibi, en, adsum nocens	
	Poenas ad omnes promptus. age, telum elige;	1220
	Qua parte visum est, percute. ultricem manum Supplex adoro ...	
	<i>manet aliquantulum solio innixus.</i>	
	moriar. at soboles patris	
	Manet aliquantulum solio innixus; Vivat superstes. sit satis letho reum	
	Mactare ... vos, o civium querulae, precor,	1225
	Umbræ meorum, sceleris ultrices mei Umbræ meorum, si qua vos pietas movet, Pio cruxi parcite et vestram sitim Explete sontis sanguine.	

Scena octava

Mauricius, Theodorus, Iustinus

Maur.	heu, quonam advehit Natos satelles! ... nate ... me miserum! peris,	1230
	Theodore!	

The. vivo, genitor; ah! nimium diu
 Perire merui ... cadere nec fuerit grave,
 Si non et ipse concidas.
 Ius. actum est, pater:
 Occidimus. ecce, iam tuis Phocas subit
 Scepbris superbus ... ecce, iam solium occupat.

1235

Scena nona

Mauricius, Theodorus, Iustinus, Phocas, Milites

Phoc. Capesce, miles, iussa: Theodorum rape
 Ferro necandum.
 Maur. respice, an gemitus trahit
 Moriens supremos?
 The. das mihi, Phoca, necem ...
 Dignum Tyranno munus ... alterum munus peto
 Me dignum ... in ipso moriar amplexu patris ...
 Hoc da.
 Phoc. do. miles, pectori ferrum insere.
 Maur. Averte ferrum, miles; huc vero et meo
 Sinu reconde.
 The. nil opus ferro ... en, labris
 Mors errat ... ore spiritum abeuntem lege.
 Maur. Theodore!
 Ius. frater!
 Maur. vixit! o vindex Deus!
 Phoc. Miles, cadaver amove. ut ferro cadas,
 Iustine, fratrem sequere.
 Ius. nil ferrum moror.
 Maur. Non sic abibis ... barbare, immitis, ferox,
 Atrox Tyranne, in te quid infelix puer
 Peccare potuit?
 Phoc. poterit. ut pereat, sat est.
 Ius. Me patere abire. ne mihi invidreas, pater,
 Quod restat unum funeris solatium,
 Tuum anteire funus.
 Phoc. e gremio patris
 Puerum, sattelles, amove.
 Ius. o genitor, vale.

1240

1245

1250

Scena decima

Mauricius, Phocas

- | | | |
|-------|--|------|
| Maur. | Ergo peribit, ergo iam patri perit
Infausta soboles! iustus es semper Deus
Iusteque plectis. quaerere hoc liceat tamen,
Cur cum nocente perdis innocuum genus? ...
Agnosco. cives quilibet fuerant loco
Natorum habendi. millia hostili manu
Perire sivi multa, mihi natos sinis
Perire geminos; iustus es vindex Deus. | 1255 |
| | | 1260 |

Scena undecima

Mauricius, Phocas, Achillas

- | | | |
|-------|---|--|
| Ach. | Iustinus obiit. | |
| Maur. | nam quid ulterius paras? | |
| | Praeire natis debui; an prohibes sequi? | |
| Phoc. | I, morere. | |

Scena duodecima

Mauricius, Phocas, Achillas, Alcimus,

- | | | |
|------|---|------|
| Alc. | siste, Maurici. ultricem manum,
Phoca, parumper sustine. ejectos ratis
Priscum et Philippum exceptit; arbitrio potes
Perimere vel servare Mauricum tuo.
Sed viduum amicis, prole, spe, solio, domo
Miles putat dedisse poenarum satis, | 1265 |
| | Miles putat dedisse poenarum satis,
Satis et daturum, vincla si clausum premant.
Hoc censem ipse civis, et neuter sua
Hunc voce damnat. | 1270 |

Phoc.	voce damnatur mea.	
	Illum perire patriae poscit salus.	
Maur.	Poscitque Phocas, ut frui solio queat; Solio potire. non tibi iniustum necem, Phoca, imputabo: tu Deo praestas manum; Iniusta manus est, iustus at vindicta Deus. Hic me nocentem nunc manu affligit tua, Sed te vicissim affliget alterius manu,	1275
	Dabisque poenas. spondet hoc nobis Deus, Deus ipse, casus qui mihi postquam meos Dedit videre, fata monstravit tua Horrifica, acerba fata. pallescis, tremis;	1280
	Parum est timere. non fugat poenam timor, Sequitur fugacem. ne fuge: ut veniat, pete, Plectatque vivum, ut parcat aeternum Deus. Haec vota pro te extrema Mauricius facit.	1285

Scena ultima

Phocas

Phoc.	Quae vota fecit! fata quae cecinit mihi! Qualemque fixum corde Mauricius metum Moriens relinquit! pectus attonito salit Trepidum tumultu. ignave, quid trepidas? sede,	1290
	Regna, quiesce ... at sceptra labuntur manu, Nutatque solium. monstra quae sese offerunt Oculis videnda! heu, crimina occurunt mihi,	1295
	Quaecumque feci. fallor! an trepido rubet Cruore dextra! hinc inde Caesareae volant Umbræ per auras, fulgura elisis micant Vibrata nimbis ... parce, quid saevis Deus?	
	Quid ante plectis scelera, quam scelerum frui Mercede liceat? patere ... non patitur moras ... Fugiamus ... at quis ille districto minax	1300
	Occurrit ense? en, pectus adversum fero: Age, fode ... refugit ... nempe differri placet Vulnus cruentum, ut vulneris crucier metu	
	Et ante mortem mille perpetiar neces. Reconde telum, quisquis es. telo acrius Mens ipsa stimulat sceleris admissi memor.	1305

O dulce tunc, cum mente concipitur, scelus!
O triste tunc, cum dextra perfecit, scelus!

1310

Finis

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1745; der Druck von 1746 wurde zusätzlich eingesehen. Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktum wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets *i* für im Original mehrheitlich verwendetes *j* gedruckt. Groß geschrieben wurde 20 *Dominus*; klein dagegen A6 *dux*, 15 *triumphos*, 48 *reges*, 83 *princeps*, 222 *princeps*, 269 *imperium*, 291 *turmas*, 484 *principes*, 675 *barbare*, 1031 *theatri*, 1118 *lictor*, 1144 *triumphas*, 1161 *duces*, 1196 *imperium*, 1205 *princeps*, 1209 *amici*, 1248 *barbare* sowie *superi* (160, 412, 603, 675 in Anreden; wie 1745, gegen 1746) und im Darstellerverzeichnis *successor*. Zusammen gedruckt wurde 1294 *sese* sowie enklitisches *-ne* ohne Worttrennung (114, 189, 396, 426, 452, 477, 533, 635, 701, 724, 757, 759, 929, 960, 1022, 1037, 1040, 1040, 1107, 1135, 1156); 35 *caelestis* (wie 1745) statt *coelestis* (wie 1746), 77 *quicunque* statt *quicunque*, 146 *quascumque* (wie 1745) statt *quascumque* (wie 1746), 156 *quicunque* statt *quicunque*, 802 *carum* statt *charum*, 1083 *coeptorum* statt *caeptorum*.

Die Reihenfolge der Sprecher vor den Szenen wurde dem Auftritt nach einheitlich geordnet (statt 1,10 *MPI*; 2,2 *GPA*; 2,3 *MGPACal*; 2,4 *MPA*; 2,5 *MTPA*; 3,4 *PhPr*; 3,5 *PhPrH*; 3,6 *PhMPPrH*; 3,7 *MPH*; 4,2 *TPG*; 4,4 *PGA*; 4,5 *PA*; 4,6 *PHA*; 4,9 *MPH*; 4,10 *MPIH*; 4,11 *MPIHA*; 4,12 *MPIHA*; 5,5 *MPhPrH*; 5,6 *MPhPrHA*; 5,12 *MPhAlAc*), *Milites* wurde jeweils ergänzt.

816 *animus* statt *animas*

Druckfehler 1745: A5 *Mauritium*

Druckfehler 1746: A1 *capivorum*, 316 *profogus*, 456 *promissus*, 749 *fusas*, 1084 *ausit*, 1208 *servanda*, 1218 *detra*

‘Komma’ gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: A8, 1, 6, 7, 8, 9, 13, 14, 20, 24, 28, 29, 63, 73, 74, 84, 84, 86, 90, 96, 100, 113, 113, 123, 126, 126, 129, 138, 154, 157, 160, 164, 177, 178, 182, 191, 192, 207, 217, 234, 254, 255, 264, 266, 269, 289, 290, 291, 294, 298, 303, 311, 319, 321, 324, 325, 327, 329, 330, 332, 332, 334, 341, 353, 362, 368, 373, 406, 407, 418, 423, 428, 435, 436, 437, 438, 439, 442, 449, 475, 476, 480, 487, 498, 503, 504, 509, 518, 539, 542, 544, 546, 548, 559, 562, 567, 576, 578, 579, 582, 596, 601, 609, 609, 609, 625, 628, 642, 644, 644, 651, 658, 689, 690, 701, 707, 715, 728, 733, 748, 750, 753, 754, 761, 763, 773, 779, 781, 784, 789, 790, 792, 808, 811, 812, 821, 832, 852, 865, 871, 881, 881, 891, 901, 906, 907, 916, 928, 942, 949, 951, 953, 955, 960, 965, 976, 982, 984, 989, 991, 998, 1000, 1005, 1028, 1043, 1060, 1061, 1067, 1070, 1070, 1080, 1088, 1092, 1098, 1107, 1108, 1115, 1124, 1127, 1138, 1154, 1166, 1172, 1178, 1179, 1183, 1202, 1216, 1218, 1228, 1242, 1256, 1267, 1268, 1305

‘Komma’ gestrichen nach: A4 *vita*, *futura*, A7 *ingressus*, A10 *voces*, *supplicia*, 5 *sceptra*, 13 *manu*, 34 *scelere*, 57 *irato*, 66 *vidi*, 105 *coronam*, 185 *furor*, 237 *cadat*, 291 *date* (1746 ‘Doppelpunkt’), 309 *opem*, 316 *miser*, 318 *regem*, 464 *iubente*, 497 *inferet*, 514 *gradu*, 534 *scelestus*, 544 *iam*, 584 *vulnere*, 624 *profunda*, 624 *procul*, 680 *quoque*, 819 *sceptra*, 839 *pulso*, 944 *oculis*, 1002 *dignam*, 1003 *ferro*, 1004 *innocentem*, 1215 *ferox*, 1269 *domo*, 1309 *dulce*, 1310 *triste*

‘Komma’ ergänzt: A5 *et*, 25, 58, 80 *refringat*, 80 *en*, 87, 113, 114 *Philippe*, 138, 159, 179, 193 *mox*, 194 *siste*, 199, 226, 233 *ut*, 238 *aut*, 261, 271, 294, 339, 346, 347 *aspicias*, 373 *et*, 382, 384, 393, 404, 416 *an*, 452, 454, 460 *vincla*, 462, 479, 488 *exigas*, 495, 497 *forte*, 500, 503 *vide*, 505, 523 *dare*, 529, 530 *dare*, 535, 541 *nate*, 544 *sis*, 565, 567 *Deus*, 590 *et*, 590 *loqui*, 621, 638 *video*, 663, 681 *tu*, 692, 692, 707, 711, 720, 760, 762, 768, 782 *videat*, 796, 808 *et*, 815, 817, 829, 834 *armis*, 834 *est*, 837, 847, 853, 853, 869, 877, 888, 900, 927, 931, 931, 934, 962 *cernis*, 963, 964 *statue*, 975, 981, 983, 984, 988, 992, 1001 *indolem*, 1005 *te*, 1015, 1015, 1022, 1024 *m'*, 1024 *en*, 1046, 1047, 1055, 1057 *istum*, 1058 *me*, 1060, 1068 *et*, 1072, 1072, 1097, 1106 *renuas*, 1129, 1164, 1164, 1168, 1169, 1191, 1194, 1194, 1209 *en*, 1210 *hic*, 1211, 1213, 1219 *en*, 1219 *en*, 1221, 1225 *vos*, 1229, 1234, 1235, 1243, 1250, 1257, 1275, 1286 *veniat*, 1295, 1295, 1303, 1307, 1309, 1309, 1310, 1310

‘Komma’ statt ‘Punkt’: 130, 369, 687, 1083

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 22, 70, 77 *satis*, 267, 348, 361, 367, 401 (wie 1745), 460 *palmas*, 614 *sermone* (wie 1745), 665, 714, 757, 798, 810, 836, 880 *duces*, 890, 894, 914, 938, 1029 *peribis*, 1048, 1215

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 158 (1746 ‘Strichpunkt’), 713, 826, 862, 883, 1081, 1084

‘Punkt’ gestrichen: 261 *captivum*, 405 *dabit*, 802 *facit*, 1050 *furor*

‘Punkt’ ergänzt: 538 ... , 857 *nihil*, 1008, 1196 *puer* (wie 1745)

- ‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 46, 75, 86, 90, 107, 143, 144, 162, 176, 190, 229, 379, 404, 416, 421
obtulisti, 424, 438, 501, 517, 674, 687, 692, 749, 763, 775, 778, 813 *poenas*, 820, 838, 847,
 996, 1042, 1095 *cane*, 1109 *voluere*, 1124, 1138, 1142, 1165, 1171, 1178, 1191, 1210 *Ty-
 ranno*, 1222, 1241 *do*, 1257, 1271, 1284
- ‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 11, 27, 43, 67, 204, 255, 292, 306, 358, 366, 398, 445, 472, 540
locus, 560, 672, 696, 721, 742, 765, 799, 801, 855, 857, 897, 931, 1013, 1047, 1075 *Deus*,
 1144 *triumphas*, 1158, 1208, 1250, 1265 *Maurici*
- ‘Punkt’ statt ‘Komma’: 79 *tenent*, 206 (wie 1745), 293, 347, 382 *perire*, 709 *paternus*, 783 *cave-
 bo*, 937, 1141, 1234, 1296
- ‘Strichpunkt’ gestrichen: 291 *turmas*, 463 *catenas*, 1057 *rape*, 1079 *sceptra*
- ‘Strichpunkt’ ergänzt: 463
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 163, 518, 590, 721, 979, 1223
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 66, 87, 112, 190, 243, 260, 307, 358, 421, 444, 585, 617, 647,
 681 *Prisce*, 738, 753, 764, 868, 873, 892, 894, 902, 910, 956, 1020, 1043, 1140, 1174, 1202,
 1264, 1275, 1277, 1284
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 194, 199, 239, 329, 500, 621, 638, 652, 692, 774, 938, 963, 1104,
 1114, 1119, 1169, 1220, 1231, 1242
- ‘Doppelpunkt’ ergänzt: 809
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Punkt’: 25
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 111 (wie 1745), 155, 629, 713, 773, 992, 1001, 1150, 1198
 (wie 1745)
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 109, 147, 253, 366, 373, 450, 732, 784 *miles*, 986, 1022, 1219,
 1233, 1236, 1277
- ‘Fragezeichen’ ergänzt: 927
- ‘Fragezeichen’ statt ‘Punkt’: 231, 946, 1023
- ‘Fragezeichen’ statt ‘Ausrufezeichen’: 189, 190, 760, 1040 (wie 1745)
- ‘Ausrufezeichen’ ergänzt: 605, 1011
- ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 675 *fides*, 735
- ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Strichpunkt’: 1208
- ‘Anführungszeichen’ ergänzt: 750f., 792ff.
- ‘Anführungszeichen’ statt Kursivdruck: A10f., 291, 836ff., 889f.
- ‘Gedankenstrich’ ergänzt: 261, 662, 1000, 1011
- ‘Gedankenstrich’ statt ‘Klammer’: 463, 566f., 926f.
- ‘Klammer’ gestrichen: 590 *et*, 590 *loqui*, 1008 *supplicem*, 1011 *Tyrannum*